

1310 serarum ponte ad Principis conspectum retracti , confe-
stis securi subjecti sunt : ferunt jam inde *Mali vadi* no-
men loco mansisse . Ad abolendam nefandorum capitum
memoriam publico est decreto edictum : ut Bajamontis &
omnium , qui cum eo conjurassent , signa undique tolleren-
tur , futurumque capitale huic , qui ea in albo aut alio
loco postea retulisset : ædes dirutæ , cætera bona publica-
ta . Quidam Bajamontis ædes ibi fuisse memorant , ubi
nunc macellum in Rivoalto est . Ex ærario stipendum
mulieri , quæ Bajamontem subito ictu retardaverat , ac
postoris decretum . Festa Viti Martyris luce ajunt nefan-
dam conjurationem oppressam : quo fit , ut quotannis sta-
to die Dux cum bona parte Patrum , præeunte clero ,
quasi publicam salutem Divo gratulaturi , ejus ædem in-
visunt : unde reversi laute in curia epulantur . Scio ego
non deesse , qui exitum conjurationis hujus diversum ab
hoc quem dixi , memorent : tradantque Principem ali-
quanto antea , quam ad arma sit ventum , de conjura-
tione rescivisse : missosque publico nomine Marcum Mi-
chaelem & Guidonem Canalem ad Bajamontis ædes , qui
eum orarent , ne quid in patriam temere moveret : ac
certe parum abfuisse , quin legati a conjuratis fuerint
violati . Inde sumptis armis , publicis quibusdam locis
incendio & rapina fœdati , in aperto , ut diximus , esse
dimicatum : demum nefandis armis cum cæde repulsis ,
optimatum factionem vicisse . Inde Ugolini Justiniani in-
terventu , qui cum magna hominum manu in auxilium
Patrum venerat (erat tum ille Clodiæ Prætor) Bajamon-
tem & socios , qui ultra Riyumaltum se tenebant , me-
tu territos , in Principis & Patrum fidem ea conditione
venisse , ut conjurationis consciï extra Venetos fines exu-
larent ; atque ita accidisse , ut nulla fere urbs sit in tota
Cisalpina Gallia , nullum oppidum in littorali Flaminiae
& Carnorum ora , in quod conjuratorum aliquis exulatum
non abiverit . Sed celebrior fama id habet , quod prius
memoravimus . Hac temporum novitate Jaderenses freti ,
Michaele Mauroceno Comite ejecto , sexto rebellarunt .

1311
Jaderenses
rebellant.

Ad